

TITULUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Poenitentia est verum et proprie dictum Sacramentum, a Christo institutum ut constat claris istis verbis: « quorum remisistis peccata remittuntur eis ». Confert remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem. Signum sensibile sunt actus poenitentis et verba absolutionis, a Sacerdote prolata. Ita Dominus Noster in misericordia sua infinita providit debilitati hominum, ut etiam iterato et saepius peccantibus non deesset medium ad amicitiam Dei revertendi per peccatum amissam, et spem salutis recuperandi.

Quocirca monentur Sacerdotes:

I. — Minister huius sacramenti est Sacerdos, i. e., primario Episcopus, ut successor Apostolorum, et dein sacerdotes omnes, qui rite ordinati, ab illo iurisdictionem acceperunt. In poenitentia ministranda scilicet, sacerdos est vere iudex, cui tribunal et districtus, in quo officio fungatur, assignari debet. Iurisdictio autem ita necessaria est, ut absque illa nulla sit absolutio. Episcopus petenti et ceteroquin apto eam negare non debet: ut autem iudicet de aptitudine, potest imo et debet illum praevis examinare. Dein iurisdictio, quam dat Episcopus est vel absoluta, vel ad tempus determinatum; vel pro tota Dioecesi, vel pro parte tantum; vel ad omnes personas extenditur, vel aliquae eximuntur, uti mulieres subinde pro sacerdote iuniore, et moniales, quae in ordinaria iurisdictione non solent comprehendi.

II. — Sed confessarius non est iudex tantum sed etiam medicus et pater. Debet mederi vulneribus peccati, adeoque requiritur in eo scientia moralis, ut cognoscere valeat et diiudicare statum poenitentis, et apta consilia dare, et dirigere in via salutis. Sed non minus habeat cor vere paternum, ut condolere sciat, his qui ignorant, et errant. Dein cautus sit et prudens in interrogationibus subinde necessariis faciendis praesertim si iunior aetate est poenitens, cum incauta interrogatione malum antea illi ignotum possit cognoscere. Moneat etiam poenitentes, ne nominent ullas personas in confessione, praesertim si de complice agatur aut alio modo illas cognitas reddat confessario, qui minime inquirere potest poenitentem de complice sub poenis a iure statutis. Magnam etiam habeat patientiam, praesertim cum pueris et rudioribus, quos saepius interrogare oportebit, atque etiam inquirere utrum sufficienter doctrinam cognoscant, ut possint ad sacramenta admitti; et casu dato breviter etiam illos instruant de necessariis necessitate medii. Memor autem sit, melius esse paucas confessiones debite factas excipere, quam nimis festinanter et negligenter multas audire.

III. — Poenitentias imponat salutare et convenientes. Ut plurimum erunt orationes. Subinde tamen etiam aliae imponendae: sed hic opus est magna discretione v. gr. ieiunia ne imponat iis, qui iam vix praescripta ab Ecclesia possunt observare, aut propter infirmam valetudinem aut labores et officia exempti sunt. Pluribus utilissimum erit v. gr. ut pro poenitentia accipiant actum contritionis, vel alias preces breviores singulis diebus mane, et vespere devote recitandas, tamen ad breve tempus, ut ita saltem assuescant diem

incipere et claudere, manus et cor elevantes ad Deum creatorem suum.

IV. — Omnino cautus sit in loquendo post auditas confessiones, ut nullo modo in periculum deveniat, vel a longe, violandi sigillum.

V. — Mulieres pro confessione non audiantur nisi in ecclesia, in confessionali et ad crates.

Quod si surdae sint aut infirmæ poterunt audiri in sacristia, sed ad crates. Decumbentes infirmæ utique audiri possunt in domo sua; curet autem sacerdos ut dum audit confessionem cubiculi ianua maneat aperta.

VI. — In ecclesia audiantur confessiones cum veste talari, superpelliceo et stola violacea (Confr. Rit. Rom.) extra illam superpelliceum stricte non requiritur. In locis calidioribus provideant Episcopi.

VII. — Parochus et ceteri, saepius fideles moneant de utilitate confessionis frequentis.

Nemo autem ostendat sibi molestum esse, si poenitentes, ipso relicto, ad alium sacerdotem accedant pro confessione. In primis utilissimum est, maxime si unicus in aliquo loco sacerdos degit, ut saltem singulis annis alter per aliquot dies advocetur ad confessiones audiendas, ordinario recedente. Ita multae impediuntur subinde confessiones sacrilegae.

VIII. — Omnes qui audire possunt confessiones, curent se huic officio dedicare; ita enim vere sequentur Christum, qui testatur se non venisse propter iustos sed propter peccatores; sintque semper memores, quotquot inter sanctos numerantur sacerdotes, non omnes laudari tanquam egregios in cura animarum et confessionibus audiendis. Et hinc animentur ad sustinendas in patientia molestias et labores huius ministerii sancti.

TITULUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Dei benignitas et misericordia qui per alia Sacramenta ad iuste et pie vivendum dat gratiam, Sacramentum Extremæ Uctionis pro ultimo militiae nostrae super terram conflictu instituit, ut in hora mortis hostem vincere, et cursu feliciter consummato, coronam legitime certantibus promissam recipere mereamur.

De fide est, Extremam Uctionem esse verum Novae legis Sacramentum, a Christo Domino institutum et ab Apostolo Iacobo promulgatum, cum ait Iac. v. 14: « Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei. »

Sequentia igitur observari praecipimus:

I. — Iuxta haec monendi sunt fideles, ut ne timeant advocare opportune sacerdotem ad infirmum, propter ideam erroneam et falsam haud paucorum, qui credunt inde accelerari mortem, et magis fidem adhibeant verbis Apostoli clarissime enuntiantis gratias huius Sacramenti.

II. — Materia huius Uctionis est Oleum ab Episcopo in Coena Domini benedictum; quod si fere deficeret in ampulla, nec aliud facile haberi possit benedictum, licet non benedictum, in minori tamen quantitate, adiungere.

Ampulla in qua servatur, sit argentea aut saltem

ex stamno, non ex vitro, etc., et talis formae ut pollex in oleum intingi possit. Debet enim pollice inungi infirmus, non instrumento, nisi in casu morbi contagiosi. Non a laico, sed a sacerdote deferri debet ad aegrotum: honesto ac tuto loco in ecclesia conservetur; non enim habitualiter in parochiali domo retineri licet, nisi in casu magnae ab ecclesia distantiae, et servata rubrica de decenti ac tuta custodia (Sac. Rit. Congr. 16 Dec. 1826).

III. — Minister huius Sacramenti est proprius parochus, qui tamen cuilibet alteri sacerdoti non excommunicato aut suspenso, hoc officium committere potest. Secus nulli licet hoc Sacramentum ministrare, nisi in casu necessitatis, ubi parochus vocari nequit.

IV. — In eadem infirmitate non nisi semel hoc sacramentum accipi debet: si autem infirmus convalescat, et post aliquod tempus reincidat, poterit denuo ungi. De cetero, cum sit sacramentum vivorum, id est, in statu gratiae recipiendum, ordinarie confessio praecedat oportet, nisi destitutus sit loquela. In tali casu tamen excitandus ad contritionem, et danda ei absolutio ac dein sacra Unctio.

V. — Pueri, si ad aetatem pervenerint in qua peccati capaces esse possent, etiam accipiant extremam Unctionem; non item parvuli, neque rei ad mortem damnati: neque mulieres ante partum, nisi status earum ceteroquin sit gravis.

VI. — Scientes quod in aliquibus oppidis indorum huius regionis, propter naturalem ipsorum ignorantiam et rusticitatem, mos pessimus existit, ut quando aliquis infirmus Sacramentum Extremae Unctionis accepit, ita a consanguineis derelinquatur, ut neque medicinam neque etiam alimenta ulterius illi praebeant, donec mo-

riatur, parochos et sacerdotes omnes illarum regionum vehementissime hortamur, et etiam serio iubemus ut constanter, totis viribus omnique zelo tam inhumanam et pessimam consuetudinem ab indis omnino et in perpetuum propulsare conentur.

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Christus Dominus in Ecclesia sua Sacramentum Ordinis instituere voluit ad suum sacrificium in terris perpetuandum usque ad consummationem saeculi; propterea ministros constituit, qui altari inserviant et Sacramenta aliaque bona spiritualia fidelibus administrent. Et Dominus quidem, uti uno ore docent SS. Patres, eadem illa nocte, in qua seipsum sub panis et vini speciebus, in alimentum spirituale tradidit Apostolis, eodem tempore idem faciendi, id est, Corpus Christi consecrandi facultatem dedit.

Ecclesia dein a Sancto Spiritu illustrata et iuxta instructiones Apostolis datas a Christo post Resurrectionem cum ipsis loquente de regno Dei voluit plenitudinem sacerdotii, quae data fuit Apostolis, eodem momento ex integro communicare ministris suis; sed uti de Apostolis ipsis legimus, ipsos diaconos constituisse, et presbyteros et Episcopos, et deinde etiam subdiaconi nobis occurrunt in traditione historica et monumentis antiquissimis, et alii ordines minores.

Christus ipse formavit Apostolos suos, et per tres annos magna patientia illos educavit, ut deinceps essent piscatores hominum. Nec minus opus est ut paulatim formentur et in schola Christi instruantur, qui aliquando altari deserviant. Hinc in Ecclesia pastorum

studium semper fuit scholas prope Cathedrales et in monasteris instituere, et eos praesertim qui maturae virtutis et intelligentiae signa darent a prima iuventute specialiter educare ad excellentissimum hoc inter omnes ministerium.

Et cum decursu temporis antiquae institutiones Ecclesiae sub hoc respectu haud levia passa fuissent variis in locis detrimenta, in Concilio demum Tridentino specialem curam Patres habuerunt ut huic necessitati providerent, et plures de instituendis in qualibet Dioecesi Seminariis et de formandis in iis ministris regulas et canones decreverunt: et iuxta illas sequentia a Patribus huius Synodi observari iubentur:

I. — Quilibet parochus in sua paroecia et ceteri etiam sacerdotes, imo et ipsi fideles qui habent zelum domus Dei, si quem puerum offendant, qui virtute ac dispositione et intelligentia aptus appareat, eum prudenter dirigant et adiuvent, ut paulatim in eo assurgere possit semen vocationis sanctae. Sciant autem omnes, praesertim quibus Dominus benedixit in pinguedine terrae et in rore coeli, nullo modo melius se gratos exhibere posse omnium bonorum Datori quam dedicando partem opum suarum ad formandos ministros altaris.

II. — Spectat dein ad Episcopum et ad illos quos ipse constituerit seminarii rectores examinare, utrum vere apti sint qui afferuntur ad studia ecclesiastica. Duplicis generis potius excludendi videntur, saltem ex numero eorum, qui intra septa seminarii educantur: primo, illi qui spiritu nimis mundano imbuti ex prima domestica institutione, ceteris nocivi forent; secundo, illi qui potius viliori aliquo motivo hanc vitam ingredi praesumendi sunt, ut v. gr. commodiorem vitam agant

aliquando, quam domi suae sperare potuissent; vel qui ut parentibus provideant, statum clericalem eligere velent. Et hi etiam si ad studia minora admittuntur, non tamen ad studia altiora philosophiae et theologiae, nisi emendati iam spiritu. Attendendum insuper, ut quicumque licet absque culpa proprio defectu physico, vel morbo foediori, aut aliqua deformitate minus apti videntur, non facile recipiantur. Si enim iam in antiqua lege Dominus vel in victimis offerendis mancum aut foedum aut maculatum reiicere voluit, quando magis haec offendere debent in ministro altaris.

III. — Declaratum fuit a S. C. Conc. 13 Febr. 1683, Indos nigros, omnesque ab illis, sive per paternam, sive per maternam lineam descendentes, ab ordinibus prohiberi non posse, si ceteris dotibus a Sacris Canonibus requisitis gaudeant. Valde tamen circumspecte cum iis agendum, cum cautela et delectu, ut iam patet ex Conc. Nicaeno canone 2, et ex Mexicana Synodo Prov. h. 1. tit. iv, § III. (De vita et fama ordinandor.).

Similiter cum iis, quorum natales, ex genitorum culpa, honesta non fuerunt, non facile super hoc impedimento dispensetur: ne crimen inferatur clero ab inimicis Ecclesiae.

IV. — Clericalis tonsura et ordines minores non conferantur nisi iis qui capaces sunt per aetatem eligendi statum vitae in quo perpetuo degant: neque admittendi illi, quorum indoles volubilis est, et minime constans. Tonsura ceterum non detur nisi illis, qui iam sunt confirmati, et legere saltem sciant et scribere, et bene instructi sint in doctrina christiana. Synodus Tridentina vetat minores ordines conferri illis qui sufficientem linguae latinae scientiam minime habent. Ad subdiaconatum et diaconatum non promoveantur, nisi com-

petenter instructi in philosophicis et theologicis disciplinis.

Ut autem ascendant ad presbyteratum, apti sint ad populum docendum et sciant etiam necessaria ad sacramentorum administrationem (Confr. Concil. Trid. Sess. xxiii, cap. 14).

V. — Episcopi est candidatos ad Ordines examinare, sive per se sive per Vicarium, aut alios viros graves, doctos, et de bono Ecclesiae sollicitos. Sed non tantum quoad scientiam examinandus est candidatus, praecipue investiganda est dispositio mentis et cordis, utrum vere spem praebeat ut sit dignus minister altaris. Propterea dispositum sapienter fuit, ut generatim (manet enim auctoritati ecclesiasticae facultas, non tamen utenda sine magna discretione, dispensandi in casu particulari) omnes per annos tres saltem, antequam ordinentur presbyteri, dum ad studia theologica incumbunt degant in Seminario aut melius proprie dicto Clericali, et mundanis principiis reiectis toti insistant formationi spiritus. Hoc tempore a prudenti direttore spirituali instructiones proprias accipient, ad cognoscenda et vincenda vitia proprii cordis, ad vitandas insidias inimici, ad superanda pericula militiae clericalis. Sic in frequentia sacramentorum, in exercitiis religiosis et in spiritu orationis quotidie progredi poterunt, et in observatione regularum et ordinis domestici queunt spiritum obedientiae erga superiorem ecclesiasticum, deinceps per totam vitam tam necessariam. Poterunt demum superiores Seminarii hoc tempore eos plenius cognoscere, ut Praelato de eorum aptitudine inquirenti debita testimonia afferre valeant.

VI. — Ut melius adhuc cognoscantur utrum dignus sit, qui vocetur ad ministerium altaris, voluit Ecclesia

et sacris canonibus statuit, ut totus populus christianus quodammodo testimonio suo concurrat: et mandavit, ut ante ordinem cuiusque nomen in propria paroecia proclamaretur inter Missarum solemnias, et fideles invitentur ad manifestandum auctoritati ecclesiasticae, quidquid impedimento esset, quominus candidatus aliquis promoveatur.

VII. — Prouti Conc. Trid. (Sess. xxiii, c. 8, De reform.) statuit, nemo Ordines (inclusa etiam tonsura) accipiat nisi a proprio Episcopo, i. e., dioecesis in qua natus est, vel actu fixum domicilium habet. Quod si quacumque de causa alius Episcopus Ordinationes peragat, habeat necesse est, testimonium proprii Ordinarium ad ordines promovendi, aut si tantum dimissoriales litteras acceperit, ipse facere debet examen super doctrina. In litteris istis dimissorialibus clare exprimendum est, pro quibus ordinibus conferendis datur facultas, additis necessariis notitiis super natalibus, aetate, moribus et vita ordinandi.

VIII. — Nemo ordinetur nisi titulum canonicum habeat. Qui autem titulo patrimonii ordinantur non minus ac ceteri addicendi sunt alicui ecclesiae, in qua statis diebus intersint et adiuvent in solemnitatibus religiosis, in confessionibus audiendis, etc. saltem singulis sabbatis et in vigiliis festorum. Sciant autem omnes non licere sibi pro libito deserere assistentiam ecclesiae cui addicti fuerunt, et ad aliam Dioecesim discedere, nisi adsentiente Episcopo.

IX. — A suscepto ordine subdiaconatus, clericus quilibet obligatur ad perpetuam castitatem, ac simul ei imponitur sub gravi onus recitandi singulis diebus officium Breviarii.

In ordinatione contrahit etiam obligationem obe-